



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Contractus ex metu levi injusto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

nium. Cum hi ego sentio, & ratio mea est, quia in jure naturæ impossibile est, ut ex iniustitia oriatur iustitia, seu ius; licet in physicis ex vicio profluere non potest actus virtutis; & in metaphysicis ex differentia. Confiteri non potest risibilitas; sed si ex contractu mercedioso oriatur obligatio iustitiæ, sanè ex iniustitia oriatur iustitia, ergo &c. Minor probatur; nam obligatio iustitiæ oriatur ex contractu per injuriam extorto, hoc est, ex contractu iniusto, atque adeo ex iniustitia. Quoniam ergo ejusmodi contractus obligationem non parit, contractus essentialiter non erit, qui deficiat, *Utro citroque obligatio.*

15. Confirmatur. Nam qui per metum iniustum extorquet contractum, & ex eo aliquid habet, teneatur illud statim restituere, ut concedunt ipsi adversarii apud Castro P. l. c. 3. ergo signum est contractum esse nullum, secus expectari posset, donec Judex irritaret; scio reservationem quorundam apud Sanch. de Lugo, Castro P. citatos, sed non satisfacit, id quod tamen fuscè persequi nobis otium non est.

16. Ex dictis solvitur. Ratio adversariorum illata num. 13. nego, cum adesse sufficientem consensum, ut in casu nostro requiritur: quamvis enim adsit consensus voluntarius sufficiens ad meritum, vel peccatum, quod solum num. 1. docuimus, tamen, quia ex ejusmodi consensu voluntario, sed per injuriam extorto, non oritur obligatio iustitiæ, quæ est de essentia ejus consensus, qui est contractus, id est sufficiens in casu nostro non est. Id quod solvit illud de Baptismo, & Sacramento, ad quæ (præter matrimonium) satis est consensus voluntarius, & liber, non verò requiritur consensus, qui sit contractus. Quod si ex Baptismo, vel alio Sacramento oritur obligatio ad servanda præcepta Ecclesiæ, &c. non est hæc obligatio iustitiæ orta ex contractu, de quo loquimur, sed alterius virtutis, ut Religionis, &c.

17. At in promptu sunt multa jura. l. 1. de rescind. vend. qui in carcerem, 22. ff. de eo quod met. l. 2. de jud. & alibi, sententia contractus aliquos ex metu esse infirmandos, ergo supponuntur esse ex se validos; Adde esse nonnulla iterum jura, quæ dicunt, vel insinuant esse validos.

18. Respondeo esse etiam iusta, quæ dicunt hos contractus esse irritos: unde nego consequentiam; illa enim jura, quæ nobis videntur contraria, solum statuunt eos esse declarandos nullos, ita Pont. lib. 4. de marim. cap. 8. n. 8. in fine, sicuti re ipsa sunt: id quod jura faciunt ad positivè retundendos contractus iniustos, & injuriosos; Et certè frequenter id necesse est, propter illos, qui contrariam sententiam sequuntur, quæ certè probabilis est.

19. Ad id, quod additur, deo vel ea jura loqui de metu levi, ut mox §. 6. dicemus, qui contractum nequaquam irritet in foro externo, vel loqui de validitate quæ ad forum externum, sic Onate tom. 1. de contr. tr. 1. diff. 3. sect. 13. n. 239. jura enim antequam contractum meticulousum irritum declarant, eundem validum esse quæ supponunt, quæ ob bonum regimen (ne turbentur inter se sine autoritate iudicis contrahentes) permittunt.

20. Sed quid respondebimus ad paritatem de dolo, quæ ab adversariis magni fieri videtur? Communis est opinio, sic Castro P. de Lugo l. c. alique invalidos esse contractus, qui celebrantur ex dolo dante causam ipsi contractui, ex dolo, inquam, versante circa substantiam rei, at ex dolo versante circa accidentia validos esse: v. g. si mihi vendis vitrum, fingendo esse gemmam, venditio invalida est: mihi vendis equum multorum annorum pro juvene, valida est jure naturæ; & per aliquos etiam jure positivo, venditio, licet possit per Judicem irritari pro arbitrio illius, qui fuit deceptus, dummodo contractus non sit ex natura sua indissolubilis, ut est matrimonium. Hoc posito sic arguunt: Contractus per dolum extortus circa accidentia est iniustus, & tamen est validus licet irritandus, ergo ejusdem rationis erit contractus per metum extortus.

21. Respondeo, primò quidem. Quid si negetur hoc antecedens, scilicet contractum hunc esse validum,

ut erit plures negant, sic Re bel. p. 2. lib. 1. q. 6. sect. n. 11. apud citatum de Lugo; sed expeditis secundò. Distinguo idem antecedens, est iniustus quoad substantiam nego, quoad accidentia concedo, atque ad id est validus, quæ parte est iustus, id est, quoad substantiam concedo: quæ parte est iniustus, id est, quoad accidentia nego: ex hac enim parte, cum adsit injuria, obligatio iustitiæ fluere non potest, nam propterea compensari omnino debet. Atque hinc confirmo nostram doctrinam, cum enim in contractu meticulouso injuria sit in tota substantia, ut nemo negat, atque adeo nullatenus pars sit iusta; non poterit ab illo ex ullo capite oriri ius. Rursus si metus, atque injuria in casu nostro cadit in totam substantiam, cur adversarii ducunt paritatem à contractu dolo circa sola accidentia? debuissent profectò ducere ex contractu dolo circa substantiam, quo pacto illis nullo modo suffragatur paritas, cum contractus dolo circa substantiam, per omnes, nullus omnino sit.

Metus gravis in matrimonio.

22. Ex his sequitur, primò Matrimonium ex dicto metu contractum esse jure naturæ nullum, quia illud etiam ut Sacramentum fundatur in contractu valido. Adde annotatum fuisse ab Ecclesiâ, c. Significavit, de eo qui duxit in matrimonio, cap. requisivit, cap. gemma, de sponsalib. Item alias annullatum fuit matrimonium clandestinum à Tridentino sess. 24. cap. 3. de reform. marim.

Metus idem in aliis Actibus.

23. Sequitur secundò, ut pronuntietur, an alii actus celebrati ex ejusmodi metu, sint jure naturæ nulli, esse noster naturam actuum expendendam. Si enim ejus sunt generis, ut debeant parere obligationem iustitiæ, eo ipso sunt nulli, quia metus est in causa, et non oritur, sicuti modo statimus, dicta obligatio. Hujusmodi sunt promissio sponsalium, ipsa sponsalia, promissio vel traditio dotis, venditio, emptio, & universum omnis traditio, vel promissio aliis obligationibus. Si verò sunt ejus generis, ut ad eorum validitatem satis sit esse voluntarios, ac liberos, nec debent dictam iustitiæ parere obligationem, erunt (quantum ex hoc capite metus) latis validi, licet possint à Judice rescindi, & videndum an ex alio capite invaliditatem forte Contraxerint.

24. Certè Sacramentum validè confertur, si suscipiatur ex metu, ut modo num. 1. diximus: & absolutio, v. g. ab excommunicatione, vel interdicto ex simili metu collata, (cum voluntaria absolute sit) valida item ex se esset, tamen quia invalidata est ab Ecclesiâ, c. Unico de iis, quæ vi, in 6. nullit. ex metu confertur; lege Castro Paluum tom. 1. tr. 2. q. 1. p. q. 4. n. 2. & Joannem de Lugo de iustitia, tom. 2. diff. 22. sect. 7. n. 120. aliosque ab ipsis laudatos, qui de constitutione procuratoris, de sententia Judicis, de confessione jurisdictionis, de electione, & similibus ex metu factis late disputant, an quamvis ex hoc capite metus, quoad validitatem non claudicent, quia eis sufficit esse voluntarios, invalidi nihilominus ex alio alio capite inveniuntur.

§. VI. Quid operetur metus levis injustè incussus. Contractus ex metu levi iniustus.

2. Metum illum, qui respectu viri prudentis est levis, respectu verò mulierculæ, v. g. est gravis, huc non advocamus, quia de illo, utpotè tunc gravi, in præcedentibus disputatum est; loquimur ergo nunc de metu omnibus expensis levi, hoc est, de metu alicui, licet injustè incusso: nihilominus tam modico, etiam respectu subjecti, cui incutitur, ut insufficientis sit ad ipsum graviter conturbandum, & querimus: An si quis ex hoc levi metu, quasi ex levi tentatione, cui facili negotio resistere potest, commotus inear contractum quempiam cum aliquo (præter matrimonium, de quo mox separatim) validè inear?

2. Convenimus ejusmodi contractus, sive onerosos, sive